



V 00th

alt. Nr. 209.

Fürstenf. n. 3 andere Schriften

P. VIII. 109.



DISPUTATIONUM THEOLOGICALI-
CARUM DE PRÆCIPUIS FIDEI
ARTICULIS,
VI.
De
LEGE ET EVANGELIO,

Quam

Angelo pacis magno moderante,
In celeberrima Academia Wittebergensi


PRÆSIDE

VVOLFANGO FRANZIO,
S. S. Theologiæ Doctore & Profels.
publico,

*In Templo arcis ad disputandum
proponit*

M. BERNHARDUS BLUMIUS
Lubecensis.

Ad diem 13. Novemb. horis
à 1. pomeridianis.



WITTEBERGAE

Excusa Typis JOH. GORMANI, Anno 1611.

VIRIS

*Magnificentia, Nobilitate, & Consiliorum
gravitate Excellentissimo,*

Dn. IACOBO BORDINGO,
J. U. D. & celeberrimæ Lubecensium
Reipub. Consuli dignissimo, deq; ea-
dem repub: optimè merito,

Reverendo, Clarissimo ac Doctissimo

Dn. CHRISTOPHORO BUTELIO,
S. S. Theologiæ Doctore eximio, & Ecclesiæ Lub.
nuper designato Superintendenti.

Pariter.

*Antiquâ generis prosapiâ præstantissimo, vir-
tute, eruditione & autoritate gravissimo,*

Dn. CHRISTIANO ab HOVELEN
In Patrio ordine apud Lubecenses
Primario.

*Dominis Mecænatibus, & Promotoribus
suis magnis, hanc disputationem Theologicam,
debita gratitudinis & reverentiæ
τεκμηρίον exhibet*

M. Bernhardus Blumius Lub.
Respondens & Autor.

DE LEGE DEI.

Thesis I.

Sancta Theologia imprimis in agnitione essentia, & voluntatis divinae occupata est. De essentia Dei doctrinam proposuit prima disputatio: De ipsius voluntate hæc nostra veritatem docebit.

II. Etsi verò propter faciliorem doctrinam voluntas Dei à Patribus sit variè divisa (in se autem spectata Dei voluntas simplex est & unica, imò indivisibilis) ut primo in voluntatē signi & beneplaciti, B. Lutherus in *lib. de lib. arb. cont. Eras.* Deinde in effectivam & permissivam, Augustinus: 3. in simplicem & conditionalem, Damascenus: 4. in primam, id est, antecedentem, & secundam, id est, consequentem, Bonaventura. &c.

III. Attamen has divisiones hoc loco non pro dignitate tractamus; Hanc solummodò, qua voluntas Dei in Legalem & Evangelicam distinguitur, hoc loco recipimus. Legalis in Lege Dei, Evangelica in Evangelio revelata est. Proinde operæ pretium facturi videmur, si singula, Legem nimirum & Evangelium rectè consideramus.

IV. Ordinis autem nostri ratio requirit, ut primò orthodoxam de utroq; articulo sententiam breviter proponamus: Deinde autē *ψευδοδοξίαν* addamus, & tandem aliquorū *ζητημάτων* decisiones subiiciamus.

V. Et primò quidem vocabulum LEGIS varias patitur usurpationes: Aliquando enim significat efficaciam impellentem, ut lex peccati, lex in membris

A 2 &c.

&c. quæ apud Apostolum non rarò inveniuntur. Interdum pro quolibet verbo Dei sumitur: ut *Psal. 119. v. 8.* Alicubi in Scriptura vetus Testamentum denotat. *Iohan. 10. v. 34. Ebr. 1. v. 12.* Tandem verò in propriâ usurpatione Evangelio & gratiæ opponitur. *Rom. 10. v. 4. Gal. 5. v. 18. Rom. 6. v. 12.*

VI. Describitur quoq; Lex divina durissimis circumstantijs, quatenus impotentiam nostrarum virium in opere Justificationis declarat: quales sunt in Epistola ad *Galat. 3. v. 23.* ubi lex Dei appellatur præsidium nos includens, &c. imò pædagogus & jugum servitutis, *Gal. 5. v. 7.* potentia peccati, *1. Cor. 15. v. 56.* operatio iræ & mortis.

VII. Contrà verò Scriptura sacra pulcherrima habet legis encomia, quorum ferè abundat *Psal. 119.* Qui interdum legem divinam vocat testimonium, *v. 24.* mox iudicium, vel mādatum &c. quæ appellationes insignem legis majestatem non obscure indicant.

VIII. Vocem legis à ligando derivant aliqui, quod liget hominem, vel ad obedientiam, vel ad pœnā. Alij derivant à legendo, quod legendo quotannis fuerit iterata in publicis conventibus.

IX. Græcis dicitur *νόμος* à verbo *νομω*, hoc est, distribuo, quia leges suum cuilibet distribuunt, Deo nimirum & hominibus.

X. Hebræi habent vocem *תורה*, hoc est, doctrina vel institutio. Lex enim Dei docet nos viam Domini. Ducitur à radice *תרה*, quæ interdum jactavit, interdum docuit, significat.

Definitio Legis.

XI. Beatus Chemnitius in Enchiridio Theol. Legē generaliter sumptā definit, quod sit Doctrina à Deo tradita, præcipiens & monstrans, quales nos esse, quæ facere, quæ omittere oporteat.

12, Cau-

XII. Causalis hæc est definitio, iecirco causæ di-
vinæ Legis sunt considerandæ. Causa efficiens non est
Justinianus, aliusvè ex Monarchis & principibus, qui
optimas quidem Institutiones & Statuta condiderunt,
non tamen sunt propter hujus auctoris majestatem in
eadem, cum lege divina, dignitate.

XIII. Nam divinæ Legis author est Dominus ex-
ercituum, qui ineffabili solemnitate, cum fulgure &
tonitru, has leges suas filiis Israel, sanctissimo suo ore
pronunciavit. Propterea quoq; decalogo suo nomen
suum præfixit: *Ego Jehovah Deus tuus, &c. Exodi 20.*
vers. 2.

XIV. Materia in qua sunt tabulæ lapideæ, in quas
ipse Deus legem inscripsit, & libri, quibus inscribere le-
ges Domini Moses jussus est.

XV. Ad formam legis potes referre ordinem præ-
ceptorum, & ipsam legis essentiam, quæ monstrat,
quid nos facere vel omittere oporteat.

XVI. Finis est, ut homo ad imaginem Dei crea-
tus, Dei voluntatem agnoscat, & secundum hanc vi-
tam instituat, Deum & proximum suum ex corde dili-
gat. *Levit. 19. v. 18. Deut. 6. v. 4. & 5.*

XVII. Porrò dividimus legem in Ceremonialem, *Diviso Lex*
Politicam & Moralem. Quæ divisio non solummodo
καθ' ἑαίαν in sacris literis invenitur, sicut passim in qua-
tuor posterioribus libris Mosaicis videre est; verum
etiam *κατὰ λόγον* videtur expressa esse, ut *Levit. 26. v.*
45. Deuteron. 5. vers. 31. cap. 7. vers. 11. cap. 26. vers. 17.
cap. 30. v. 16.

XVIII. Ceremonialis est externa ordinatio sacri-
ficiorum, totiusq; cultus Levitici, quo populus Judaicus,
Lex ceremonialis

non tantum ab alijs gentibus fuit distinctus, sed & Christus in plenitudine temporis in carnem venturus cum omnibus suis beneficijs adumbratus, & per fidei electis verè applicatus.

XIX. Objectum itaq; legum ceremonialium fuerunt ceremoniæ, quas in Ecclesia Veteris Testamenti Deus adhiberi voluit; earumq; administrationem rigidissimè exegit, ut summi sacerdotis filijs, Nadab & Abihu non pepercerit Dominus, cum præter legem ceremonialem, alienum ignem Domino exhiberent. *Atq; egressus ignis est à facie Domini, & consumpsit eos, mortuiq; sunt coram Iehovah. Levit. 10. v. 1. &c.*

XX. Verum enim vero, ceremoniæ Veteris Testamenti commodissimè in quatuor classes distribuuntur: In primâ classe sunt sacrificia, quæ sibi fieri jubebat Dominus, de animalibus & terræ frugibus, ad reverentiam divini nominis, representationem meriti Christi, & gratiarum actionem pro acceptis beneficijs, à Pontifice, sacerdotibus & toto populo Israëlítico, certo ordine, quem ipsemet Mosi dictaverat.

XXI. In secundâ classe sunt loca sacra, sancta ædificia, & tempora: qualia sunt tabernaculum Ecclesiæ, in quo erat Sanctum sanctorum, quod duntaxat anniversariè semel ingredi audebat summus sacerdos: item illud Sanctum quod quotidie ingrediebantur sacerdotes: item atrium, quod erat spacium, ubi stabat populus. Huc etiam referuntur arca foederis, virga Aharonis, tabulæ legis, duo Cherubin, altare, mensa propositionis, candelabrum cum suo emunctorio & reliquis instrumentis. &c. Sacra tempora sunt, Sabbathum, Neomeniæ, Pascha, Pentecoste, festum tubarum, festum propitiationis, festum tabernaculorum,
annis

annus jubilans, & reliqua quorum Moses meminit.

XXII. Terciam classem faciunt Sacramenta, ut Circumcisio & agnus Paschalis: item Panis propositionis, Purificatio, & Expiatio, quæ in latissimâ significatione à Theologis orthodoxis sacramenta solent appellari. Huc etiam referendæ sunt consecrationes sacerdotum, & unctiones &c.

XXIV. Quartam deniq; classem constituunt nonnullæ observantiæ & exercitia religionis: quales sunt rationes capitum, distinctio ciborum, vestitus sacer, & id genus aliæ ceremoniæ, quarum quamplurimæ in Sacris literis passim & sparsim occurrunt:

XXIV. Vera dicamus de nobis hominibus: Hæc omnia ceremoniarum generatiōi humanæ videntur inepta & ridicula, ut etiam nonnullos in lectione istarum ceremoniarum fastidium & nausea quasi capiat, quod certè immensum coràm Deo peccatum est.

XXV. Sis ergo captiva Ratio humana sub obedientiâ fidei: & causas finales nobiscum intuere, propter quas Iehovah Deus noster ejusmodi ceremonias instituit. Inveniuntur autem in Scriptura tres præcipui fines.

XXVI. Primus finis est, ut his ceremonijs Christus in carnem venturus, cum suis meritis populo Israelitico & toti Ecclesiæ adumbraretur. Hinc loquitur Epistola ad Coloss: 2. v. 15. & 17. *Ne quis vos damnet ob cibum aut potum, aut respectum dier, aut novilunij, aut sabbathorum, Quæ sunt UMBRA FUTURORUM BONORUM, AT CORPUS EST CHRISTI.*

XXVII. Alter finis est, ut ceremoniæ essent nosster pædagogus ad Christum respiciens, ut ex fide justificaremur Galat. 3. v. 24. Cui etiam subalternamus quod

quod Deus ejusmodi ceremoniarum famam exterarum gentes ad Ecclesiam vocare voluit. Id quod in Rege Hiram apparet, qui ad ædificationem templi mittit Salomoni cedros de Libanon: qui sine dubio magnam partem hujus pietatis habet ex auditione de ceremoniis & reliquis Dei magnalibus: quæ tamen postea per amicitiam, quam cum David & Salomone contraxit, confirmata fuit. *1. Reg. 5.*

XXIIX. Et qui non fama & rumor fieret de imensis illis sacrificijs? siquidem simul & semel solus Rex Salomon, sub initiatione templi, duo & viginti millia boum, & ovium centum viginti millia Deo sacrificavit, præter illa sacrificia quæ populus Domino obtulit. *1. Reg. 8. v. 63.*

XXIX. Sed abusus est hoc sine diabolus; incitavit enim homines, ut Dijs suis alienis sacrificia facerent ad imitationem sacrificiorum Dei; Nam sic solet spiritus damnationis religionem & opera sanctorum ad malitiam pervertere. Id quod ex lapsu primorum parentum, *Gen. 3.* & ex congressu illo, quem tentationis gratia, cum filio Dei instituit *Matth. 4. v. 1.* liquidò manifestum est.

XXX. Tertius demum finis est, ut per ceremonias Ecclesia suorum peccatorum commonefieret: Sic enim loquitur autor Epistolæ ad *Hebraeos. 10. v. 3.* *In istis fit repetita mentio peccatorum quotannis.*

Abrogatio legis
ceremonialis.

XXXI. Sciendum est prætereà, quod lex ceremonialis non fortuito quodam casu, vel hominum malitia sit abolita; Sed ipsius Dei voluntate leges ceremoniales, post Christi ascensionem ad cælos gloriosam, per Apostolos publico quodam concilio abrogatæ sunt.

32. Etc.

XXXII. Etenim post longam, in concilio Apostolorum Hierosolymitano deliberationem, Divus Petrus, ipsius Spiritus S. instinctu, hanc controversiam ita decidit. *Nunc ergo quid tentatis Deum, ut imponat jugum super cervicem discipulorum, quod neque Patres nostri, neque nos portare potuimus.*

XXXIII. Et hæc D. Petri sententia, communi reliquorum Apostolorum calculo fuit approbata, & postmodum per viros, ad Legationem electos, Paulo & Barnabæ, qui tunc temporis Ecclesiam Antiochianam informabant, fuit significata. *Actor. 15. v. 7. & seq.*

XXXIV. Habebant enim Apostoli expressum Dei verbum, quod ceremoniarum post Christi adventum essent abrogandæ: quia sic loquitur Jehovah. *Ier. 31. v. 31. Ecce dies venient, dixit Jehovah, & feriam cum domo Israel, & cum domo Iehudah fœdus novum, non secundum fœdus, quod pepigi cum patribus eorum, in die quâ apprehendi manum eorum, ut educerem eos e terrâ AEgypti: quia ipsi irritum fecerunt pactum meum, & ego dominatus sum eis, dixit Jehovah.* Hanc apprehendens sententiam auctor Epistolæ ad Hebr. cap. 8. v. 13, dicendo, *inquit, NOVVM antiquavit VETVS.*

XXXV. Accessit etiam manifestum Danielis vaticinium. *Dan. 9. v. 17. Et roborabit pactum multis hebdomada una, & in dimidiâ hebdomadâ cessare faciet sacrificiû & oblationem, & propter extensionem abominationum desolabit, donec consummatio, & quidem decisa effuderit super admirantem.*

XXXVI. Denique ipsa Dei omnipotentia, huic abrogationis operi, primam manum videtur admovisse: Siquidem in passione Christi, velum templi fissum est medium, *LUC. 23, v. 45. Quod certè nihil aliud*

B

signific

significavit, nisi quod lex ceremonialis per fissuram ab ipso Deo abrogata fuerit.

*De ceremonijs
novi Testamen-
ti.*

XXXVII. Attamen hæc ceremoniarum abrogatio, non eousq; se extendit, ut omnes ceremonias in Ecclesia, in universum sine differentia prohibeat. Nam ille ipse Deus qui ceremonias veteris Testamenti abrogari iussit; ille ipse inquam, per Apostolum quoq; in Ecclesia iussit, omnia ORDINE & DECENTER administrari, *1. Cor. 14. v. 15.*

XXXIX. Imò ipse Salvator, in novo Testamento certas ceremonias instituit, per quas efficacem se fore promissit, ad operationem fidei & æternæ salutis, quas etiã nemo Christianorum potest negligere, nisi æternæ hereditatis detrimentum, facere velit. Quales sunt prædicatio verbi divini, administratio sacramentorum, usurpatio potestatis clavium regni cœlestis, &c. quæ omnia sano sensu ceremoniæ vocari non nequeunt.

De adiaphoris.

XL. Verum de his nemo dubitavit hætenus, nisi Photiniani, quibus novitates aliquas Minerva rationis insufurravit: Sunt autem aliæ ceremoniæ in nostris puriorib. Ecclesijs usitatae, quas *τὰ ἀδιαφορὰ* vocamus, & non prohibitas esse volumus.

XLI. Sunt autem adiaphora actiones ab hominibus excogitatae, mediæ, liberæ, & non onerosæ, quibus Ecclesia uti potest & non uti, pro cuiuslibet loci legibus & consuetudinibus, ordinis & decori gratiâ, ad ædificationem Ecclesiæ instituta.

XLII. Liberæ itaque sunt actiones adiaphora, ut nihil præter ornatum addant ad cultûs divini essentialiam. Quare Apostolus ad *Rom. 14, v. 6.* de eiusmodi ceremoniis.

ceremonijs, quæ in ciborum & temporum discrimine observari possunt in Ecclesia: *Qui curat diem, Domino curat: & qui non curat, Domino non curat. Qui edit, Domino edit, gratias enim agit Deo: & qui non edit, Domino non edit, & gratias agit Deo.*

XLII. Verumtamen si opinio cultus divini ad ejusmodi ceremonias adiaphoras accedit, non sunt amplius actiones liberæ: *Nam frustra Deus colitur, si quis mandata hominum vult docere. Matth. 15. v. 9.*

XLIII. Hæc verò libertas sic sumenda & intelligenda est: quando ab Ecclesia ejusmodi ritus instituuntur, vel pro re natâ abrogantur, quod nemo se debeat offendere. Interim non concessum est cuilibet, ut privato suo arbitrio ceremonias novas in Ecclesiam introducat vel introductas abroget.

XLIV. Sic necque persecutionis tempore, in gratiam adversariorum aliquid ceremoniarum mutandum, vel recipiendum est; exemplo videlicet Apostoli, Galat. 2. v. 4. & 5. qui sic loquitur: *Nempe propter subreptitios falsos fratres. qui irrepserant ad explorandam libertatem nostram, quam habemus in Christo Jesu, ut nos in servitutem adigerent. Quibus ne AD MOMENTUM CESSIMUS PER SUBJECTIONEM: ut veritas Evangelij permaneret apud vos.*

XL. Est verò in adiaphoris constituendis vel abrogandis, certus ordo observandus, ut videlicet primæ partes ordini Ecclesiastico tribuantur: siquidem adiaphora bona sunt Ecclesiastica, & proinde ab ecclesiasticis ex maximâ parte disponenda. Secundæ debentur magistratui politico, utpote qui custos est, & exsecutor legis divinæ. Tertiæ demum

B 2

partes

partes pertinent ad auditores in Ecclesia, quippe qui nobile Ecclesiae membrum sunt, & simul potestatem habent de articulis fidei iudicandi.

Lex politica.

XLVI. Atqui de his ceremonialibus satis. Progredimur ad legem politicam, quae est constitutio iudicialis, à Deo ipso per Moysen tradita, praescribens modum disciplinae politicae, in populo Iudaico.

XLVII. Dn. Chemnitius leges politicas redegit in tres classes; quarum primam oeconomicam dispensat, atque certas leges de servis. *Exod. 21. v. 2. & 5. Levit. 25. v. 39. & seq. Deut. 15. v. 12. & seq.* item de conjugio, *Deut. 25. v. 5.* Deque parentibus & liberis, *Deut. 21. v. 15.* Judaeis praescribit.

XLVIII. Secunda classis politicam societatem disponit, & agit potissimum de magistratu, iudicijs, contractibus; distinctione dominiorum, & poenis pro maleficijs. Poenae autem erant apud Iudaeos variae: aliae capitales, ut lapidatio, combustio, suspendium, aliae detrimmentales, ut supplicium servitutis, discalceatio, flagellatio, exilium, &c.

XLIX. Tertia demum classis ostendit, quomodo tractandi fuerunt advena, qui non fuerunt in V. Testamento à coetu Ecclesiae exclusi, sed quovis tempore ad Ecclesiam resipiscentes admissi. Proinde admiramur Dei misericordiam, quae peregrinos etiam in dispensatione beneficiorum, viduis & pupillis, quorum tamen iudicem & patrem se fore promisit Dominus, *Psal. 68. v. 6.* anteferre dignata est. *Deut. 24. v. 19. &c.*

L. Verum, haec politicae leges ex parte sunt abrogatae: Etenim accommodatae fuerunt Iudaeorum politicae; quae propter communis quoque clausula additur
quando

retur. Sic enim Christophorus Osterrodus in germ.
instit. erumpit. Gleich wie vns nun Gott durch Je-
sum Christum die Warhafft vnd Vollkommene Selig-
keit verheissen: Also hat er vns auch durch denselben solche
Gebote gegeben / welche alle dahin gerichtet / das sie ein-
Warhafft vnd Vollkommene Gerechtigkeit in vns wir-
cken vnd zu wege bringen sollen. Vmb welcher willen
nicht alleine alle andere Gebote des Alten Testaments /
nemlich die Ceremonialia vnd Politica (wie man sie pflie-
get zu heissen) im Newen Testament nicht mehr gelten.
(Welches denn gewislich auch nicht einen geringen Un-
terscheidt beyder Testamenten anzeigt) sondern auch die
Præcepta moralia (Das sind die Gebote von Frömmich-
keit vnd Gerechtigkeit) sindt durch Christum viel vollkom-
ner gemacht. Hoc est: Sicut nobis Deus per Jesum Chri-
stum veram & perfectam beatitudinem promisit: Ita
etiam per illum talia nobis præcepta dedit, quæ id spe-
ctant solummodo, ut veram & perfectam justitiam in
nobis operentur & efficiant, propter quam causam,
non solum omnia præcepta Veteris Testamenti, nimi-
rùm ceremonialia & politica (ut nominari solent) in
novo Testamento nihil valent (quod profectò non exi-
guum utriusq; Testamenti discrimen monstrat)
sed etiam præcepta moralia (quæ sunt præcepta de pi-
etate & justitia) facta sunt à Christo longè perfectiora.
Hactenus Osterrodus.

L VII. Has novitates, quas absurdissimè profert
Arrianus, debebant aliqua Scripturæ specie ornari, si
voluisset aliquam fidem sibi mereri. Sed quia pro
suo arbitrio, sine Scripturæ testimonio, hæc profert
hæreticus, hæc novitates, eadem authoritate qua sunt
prolatæ, authori remittuntur.

58. Sed

LIIIX. Sed ne longius abeamus: ad *moralem legem* *Lex moralis*
denique pervenimus, quæ est immota regula justitiæ,
discernens recta & non recta, patefacta hominibus in
creatione, & postea sæpe repetita, & declarata voce
divina, ut sciamus quid sit Deus, & qualis sit, obligans
omnes creaturas rationales, & postulans, ut omnes
sint conformes Deo, ac damnans & destruens omnes
Deo non conformes.

LIX. Etsi verò ad Logicæ æquilibrium hæc defini-
tio omnino non sit fabrefacta, longè tamen perfecti-
or est illis, quas nonnulli ex Calvinianis, Rami cancel-
lis inclusi, in methodicis libellis solent proponere.
Proponitur autem nostra definitio in Examine Philip-
pi, quam propter aliquas causas paulisper in verbis
mutavimus.

LX. Primò autem ostendit hæc definitio, quænam
sit essentia legis moralis nimirum quod sit regula, divi-
na immota. Atque his verbis, legem moralem, po-
litica & ceremoniali legum specie, atq; adeò ab o-
mnibus hominum constitutionibus discernit: Mora-
lis enim immota est, hæ verò temporales sunt, & in
tempore latæ & abrogatæ.

LXI. Deinde docet definitio, quod perfecta legis
notitia in primâ creatione homini fuerit instillata;
Erat enim homo secundum imaginem Dei conditus.
Postmodum sine dubio sapissimè voce Dei repetita,
quia propter legis transgressionem primus mundus
diluvio fuit submersus. Tandem in Monte Sinai, im-
mensâ quâdam majestate, & solemnitate admiranda,
ipse

ipse Iehovah, legem, hanc suo ore est prolocutus, & Decalogum suis digitis in tabulas lapideas inculpfit. Exodi. 20. & iamiam moriturus Moses jisdem verbis in conspectu totius populi Israelitici, illam repetivit.

LXII. Tertiò ostendit, quid lex requirat: Scilicet non aliqualem obedientiam, seu externam pietatem, sed quod perfectissimam & mundissimam, ex omnibus viribus ab homine postulet, quas in primâ creatione Deus primis parentibus nostris est largitus, imò ut ipsi simus Deo conformes. Cujus nostræ assertionis fundamentum est apud Lucam, cap. 10. vers. 27. & 28. Deut. 6. vers. 5.

LXIII. Denique ostendit pœnas, quas Deus à nobis omnibus vult sumere, nisi perfectam præstemus obedientiam. Nimirum mortem æternam & maledictionem: Uti videre est, Deut. 11. vers. 26, 27. 28. Nam *Vide inquit Iehovah, ego pono coram vobis hodiè benedictionem & maledictionem. Benedictionem si obedieritis præceptis Iehovæ Dei vestri, qua ego præcipio vobis hodie. Maledictionem verò si non obedieritis præceptis Dei vestri, sed recesseritis de via, quam ego præcipio vobis hodiè, ita ut ambuletis post Deos alienos, quos non novistis.*

LXIV. Ut simul dicam omnia, legis observatoribus æterna salus, transgressoribus æterna damnatio est destinata. *Exsecrabilis enim, qui non manserit in omnibus, quæ scripta sunt in libro legis, ut faciat ea, dicit Dominus. Deut. 27. vers. 21.*

LXV. Inquis fortè: At nemo hominum potest perfectam obedientiam legi præstare: siquidem ne unum requirentem Deum vidit Dominus de cœlo prospiciens, sed omnes declinatos & inutiles factos *Psal. 14. v. 3.* Quare magnus ille Apostolus Paulus, qui poterat se

se gloriari, (quod tamen desipienter vult loqui) se excellere in laboribus & fatigationibus sanctis perabundè: Ille non erubescit dicere: *Si gloriari oporteat, de ijs, quæ infirmitatis meæ sunt gloriabor. 2. Cor. 11. v. 23. & 30.* Imò. *Non bonum inquit, quod volo facio, sed malum quod odi, hoc facio. Rom. 7. v. 14.* Sunt nē itaque omnes homines, etiam qui sancti sunt, maledicti & damnati?

LXVI. Rectè ita quæris: omnes enim quotquot legē Dei perfectè implere nequiverunt, fuissent rei æternæ damnationis & mortis. *Nam omnis nostra justitia est tanquam pannus menstruatus, Esa. 64. v. 6.* Atq; adeò, quando omnia fecerimus, quæ injuncta sunt nobis, dicere debemus: *Servi inutiles sumus quod debuimus facere, fecimus. Luc. 17. v. 10.* & proinde omnes essemus maledicti. *Sed redemptor noster Iesus Christus languores nostros tulit, & dolores nostros portavit, & vulneratus est propter prævaricationes nostras: castigatio pacis nostræ super eum, & livor ejus sanitas fuit nobis Esaie 53. v. 4. & 5.* Id est filius Dei reatum nostrū in se derivavit, & plagas nostras pro nobis in se recepit: & ipsius morte, vita & salus æterna nobis comparata est.

LXVII. Qui igitur illam Christi satisfactionem vera fide apprehendunt, illi non sunt amplius filia iræ, sed filij Dei charissimi, *1. Iohan. 3. v. 2.* & justificantur gratis, id est, ejus gratia, per redemptionem factam per Jesum Christum. *Rom. 3. v. 24.*

LXVIII. Cæterum, Lex moralis, quia immota Dei regula est, non abrogata est, sicut politica & ceremonialis: Sed omnes homines, etiam renati secundum illam jubentur vitam instituire. Et eam ob causam, Salvator non solum modo prædicavit Evangelium, sed etiam legem sæpissimè addidit, ejusq; genuinum sensum,

©

sum,

sum, cæcutientibus Judæis, secundum mentem divi-
nam explicavit. *Matth. 5. v. 17. & seq.*

LXIX. Propterea in hanc ipsam sententiam egregiè
dixit D. Hieronymus in dial. adv. Pelag. Mandata quæ
ad vitam & mores pertinent corrigendos, debemus ob-
servare, quæ autem ad ceremonias & ritus sacrificio-
rum pertinent, debemus relinquere.

LXX. Sano tamen sensu, lex moralis abrogata esse
dici potest. I. quoad justificationem: *Iustus enim non ex
operibus, sed ex fide vivit. Gal. 3. v. 11.* II. quoad maledictio-
nem: *Nam Christus nos redemit ab execratione legis, dum
pro nobis factus est execratio. Gal. 3. v. 13.* Et hoc respec-
tu renati, qui spiritu Dei ducuntur, non amplius sunt
sub lege. *Gal. 5. v. 18.*

LXXI. Dividimus porrò legem moralem (quæ etiã
à decem præceptis decalogus dicitur) in duas tabulas,
à tabulis nimirum lapideis, quibus Iehovah legem in-
scripsit. Ad priorem tabulam referimus tria præce-
pta priora, quæ præcipiunt dilectionem Dei; ad posteri-
orem verò, septem posteriora, quæ præcipiunt dilecti-
onem proximi. Namq; hoc modo ipse Christus præ-
cepta decalogi, in dilectionem Dei, & dilectionem
proximi distribuit. *Matth. 19. v. 19. Marc. 12. v. 30. Luc. 20,
v. 27.*

LXXII. Errat autem Calvinus, lib 2. Inst. cap. 8. §. 10. dū
ad priorem tabulam quatuor præcepta refert, & ex
primi præcepti appendice peculiare præceptum facit,
& nonum cum decimo in unum ineptè contrahit.
Neque juvat ipsum autoritas antiquorum, Originis,
Augustini, Bonifacij, & Autoris operis imperfecti in
Matthæum.

LXXIII. Authoritate enim nos non pugnamus, op-
ponimus

ponimus tamen illis Augustinum, (quem & ipse allegat) qui ex triade præceptorum primæ tabulæ vult probabiliter Trinitatem personarum in Deo ostendere. Opponimus etiam venerabilem Bedam lib. 3. dist. cap. 37. Iuodorum Hispalensem in gl. ord. sup. exod. 20. item Clementem Alexandrinum lib. 6. *ερωδων &c.* LXXIV. Statuimus autem cum orthodoxis Theologis, quod appendix ille primi præcepti, de non adorandis imaginibus, sit propriè explicatio primi præcepti, propter populum Judaicum addita, qui valde proclives erant ad idololatriam. Aliàs Deos alienos habere, & simulachra adorare, unum & idem est, quod vel puer poterit decidere.

LXXV. Sed nonum & decimū præceptum supersunt, quæ Calvinus & ipsius asseclæ in unum contrahunt: nostrates verò rectissimè distinguunt. Nam utrumque præceptū habet peculiare objectū. Noni præcepti objectū ostenditur per verbum **NON CONCUPISCES**, quod propriè concupiscentiam actualē prohibet, sicut ex hebræo textu manifestū est: Decimum præceptum habet verbum, **NON DESIDERABIS**, quod propriè prohibet concupiscentiam originalem, quod idem liquet ex fontibus. Licet ergo objecta utriusq; concupiscentiæ non sunt magnopere distincta, ipsæ tamen concupiscentiæ sunt diversæ. Et proinde dicit Apostolus *Gal 5. v. 16. Dico autem spiritu incedite; & concupiscentiam carnis non perficietis.* Distinguit nimirum inter ipsam concupiscentiam carnis, & perfectionem concupiscentiæ. De vero autem horum præceptorum sensu, legatur Catechismus major Beati Lutheri.

C

76. Porro

LXXVI. Porro ad legis usum progredimur, qui triplex à Theologis statuitur. Primus est Politicus: ut nimirum feri & indomiti homines compescantur, ut externam disciplinam observent, id quod etiam homo non renatus, suis viribus legi divinæ præstare potest. Hinc dicit Apostolus *1. Tim. 1. v. 9. Scimus legem iusto positam non esse, sed legis contempторibus, & ijs, qui subijci nesciunt, &c.*

LXXVII. Alter usus vocatur pedagogicus, qui potissimum est in justificandis, ut I. Lex divina hominibus peccata oculiissima revelet. *Rom. 3. v. 20.* II. ut magnitudinem peccati & iram Dei commonstret. *Rom. 4. v. 15.* III. ut veram contritionem excitet, *siquidem lex peccati robur est 1. Cor. 15. v. 56.* IV. ut homines deducat ad Christum. *Gal. 3. v. 24.*

LXXVIII. Tertius deniq; usus est in justificatis & renatis: ut nimirum per Dei gratiam conversi, certam habeant regulam, secundum quam vitam instituere possint. Et de hoc canit Psalmista: *Lucerna pedi meo verbum tuum, & lumen semite. Psal. 119 v. 105. & Psal. 1. v. 2. Beatus ille predicatur, cujus voluntas in lege Iehovah est.*

LXXIX. Anabaptistæ hunc tertium usum rejiciunt, arripientes scripturæ dicta: *Non estis sub lege, Rom. 6. v. 14. non amplius sub pedagogo sumus, Gal. 3. v. 25. Non accepistis Spiritum servitutis &c.* Quare dicunt, Renati sunt à lege liberi, & proinde nulla legis utilitas est in renatis.

LXXX. Fateantur autem Libertini (sic vocantur Anabaptistæ) se Scripturam non intelligere. Illa enim Scripturæ dicta loquuntur de maledictione & rigore legis, à quibus renati sunt liberi. Sed quia *Vetus Adam* quotidie in nobis submergendus est, dicimus cū Paulo: *Mente servimus Deo, carne autem legi peccati. Rom. 7. v. 25.* Plura de hoc tertio usu habet formula *Concordiæ*:

diæ sub titulo, De tertio usu Legis. Et hætenus fuit vera De lege Dei sententia.

LXXXI. Sequuntur in ordine nostro, hæretici cum schismaticis, quos hoc loco cursoriè, nigro quod ajunt calculo, notabimus. Et primò occurrunt Cerdoniani, Marcionitæ, Valentiniani & Manichæi, qui blasphemè & supra omnem impietatis mensuram Legis auctoritatem, malum Deum statuerunt. Chemnitius in locis de lege Dei, cap. 10. pag. 268.

Errores circa hunc articulum

LXXXII. Deinde Judæos huc referimus, qui nullam prorsus legis divinæ speciem abrogatam esse contendunt. Refutavit illos Paulus Burgensis in scrutinio scripturarum. Cujus refutationis brevem diæ Exodæ exhibet Beatus Chemnitius, in loco de lege Dei, cap. 5. pag. 49.

LXXXIII. Tertia Classis est turma Iesuitarum, quæ doctrinam Evangelicam in legalem transmutat, & hominem suis viribus Legi divinæ perfectam obedientiam præstare posse propugnat.

LXXXIV. His non longè sunt ab similes Novi Arriani, qui se Phorinianos vocant, dum impudenter affirmant, quod Christus talia nobis præcepta dederit, quæ perfectam obedientiam in nobis operantur & efficiunt. Osterodus in institutionibus germanicis cap. 22.

LXXXV. Et tandem hæc castra terminantur Antinomis & Anabaptistis, qui politicam legis utilitatem solum admittunt, reliquas rejiciunt, & Moysen cum lege ad curiam relegant. Et hi sunt Pseudoprophetæ, qui Ecclesiam suis paradoxis circa hunc articulum, infestare & turbare student.

LXXXVI. Supersunt nonnullæ difficultates quas in quæstionibus proponemus. Primò enim quæritur, Cum Deus omnium hominum vires probè cognitas habeat, &

Quæstiones

at, & præsertim quod legi divinæ nemo hominum possit satisfacere; An itaque injustè impossibilia ab hominibus requirat?

LXXXVII. Respondemus: Duo status hominis probè notandi sunt: primò ante lapsum, deinde post lapsum. Ante lapsum erat homini possibile, ut legem Dei impleret, quod in statu corruptionis impossibile est, Requirit nunc ergo Deus, quod homini dedit in creatione; quod verò homo hanc facultatem amisit, penes Deum non est, sed culpa est in homine, qui delicias gutturales gaudijs æternis antetulit.

LXXXIIX. Veteres aliquo simili declararunt hoc negotium. Creditor benè locuples debitori cuidam satis diviti pecuniam credit & elocat. Debitor post acceptam pecuniam deficit; omnemq; facultatem amittit. Debitori solutio impossibilis est. Creditor autem non propterea injustus, quia creditam pecuniam à debitore repetit. Sic neque Deus injustus est, quia repetit id, quod homini in creatione est largitus, etiamsi ille per negligentiam illud amiserit.

LXXIX. In primo præcepto solent hallucinari quidam, dum Imagines putant, per appendicem de non colendis imaginibus, ex Christianorum templis rejici. Idcirco ad hanc quæstionem responsum & decisionem dabimus.

XC. Imagines in templis sunt res adiaphoræ, quæ salva conscientia retineri possunt, quando nimirum ornatus & erudiendi rudis populi causa in templis retinentur. Ipse enim Deus in templo suo Hierosolymitano imagines aliquas erigi iussit 3. Reg. 7. v. 30. Huc etiam respexit D. Gregorius quando dixit: *Ob id depinguntur in Ecclesiis Evangelica historia, ut hominibus illiteratis*

zeratis reducant in memoriam, qua in carne conversatio Christi fuerit.

XCI. Verum si abusus vel idololatria circa imagines instituitur: tunc non potest solum, sed debet etiam pius magistratus, consentientibus reliquis Ecclesiae membris, imagines abrogare. Exemplo videlicet pii regis Ezechiae, qui serpentem ancum usque adeo stare passus est, donec ab idololatriis adoraretur, tunc penitentissime illum confregit. 2 Reg. 16. Quam ipsam sententiam Theodorus Beza, suo silentio, in colloquio Montisbelgardensi, pag. 337, approbasse videtur.

XCII. Circa quintum praecipuum quaeritur, an Magistratus Christianus possit homicidas occidere? Negant quaestionem Photiniani, quia Christus omnibus Christianis vindictam interdixit; Matth. 5, v. 39. Audistis quod dictum fuerit: Oculum pro oculo, dentem pro dente. Ego vero dico vobis, ne resistatis malo, sed quisquis te ceciderit in dexteram tuam maxillam, obverte ei & alteram.

XCIII. Sed erratis & Scripturam non intelligitis Photiniani; distinguendum enim est inter publicam & privatam vindictam. Privata, hoc Christi enunciato penitus tollitur: Publica vero stabilitur 1. Pet. 2, v. 14. Subiecti estote cuiusvis humanae ordinationi, propter Dominum: sive regi, aut qui praesit, sive praesidibus, ut qui per eum militantur, tum ad ULTIONEM malefactorum, tum ad laudem recte agentium. Et haec sufficiant de Lege Dei.

DE EVANGELIO.

XCIV. Nunc porro de Evangelio Domini nostri Iesu CHRISTI agendum est: Nam contraria
juxta

juxta se posita magis elucescunt, rectissime dicunt, Philosophi. Et pro ordinis nostri ratione, primò Theologorum Orthodoxam sententiam proponemus.

Etymologia vocabuli Evangelij.

LXXX. Vox Evangelium græca est, derivata ab *εὐαγγέλιον*, Latinis lætum nunciū; Hebræis *בשורה*, à radice *בשר* quam quinquagintā interpretes reddiderunt Evangelizavit. Dicitur autem *εὐαγγέλιον*, quod homini, peccato & ira DEI consternato, solarium & gaudium afferat.

XCVI. Sumitur autem tripliciter. I. significat pericopen ex historiā Evangelistarum, quæ diebus Dominicis solet legi & explicari. 2. sumitur pro historijs ipsis Evangelistarum *Marc. l. v. II.* Tertiò pro doctrina de filio Dei Jesu Christo, per Prophetas & Apostolos consignata, quæ prædicata est à Deo & sanctis hominibus, in universo terrarum orbe, ab initio miseriarum humanarum. In qua postrema significatione, hanc vocem hoc loco recipiemus.

Definitio Evangelij.

XCVII. Cum Formulâ Concordiæ verbis paulò mutatis definimus Evangelium, quod sit doctrina divinitus revelata, plena consolationis, de misericordia Dei, & gratuita peccatorū remissione, per & propter Christi meritum fide apprehensum. Art. 5. de lege & Evang. thesi. 6.

XCVIII. Etsi verò Evangelium semper unum idemq; sit, facilioris tamen doctrinæ causa, respectu temporis, in sano sensu, potest dividi, in Vetus & Novum. Verus est quod in Veteri Testamento, non ita clarè sicut in Novo Testamento, de incarnando filio Dei ab ipso DEO immediatè, & per Prophetas & Angelos mediatè fuit prædicatum. Quale est *Gen. 3. v. 15.*

Inimi-

*Inimicitias ponam, inter te & ipsam mulierem, & inter semen tuum & semen ejus: ipsum conteret tibi caput, & tu conteres ei calcaneum. Item E-
saia, 7. v. 14. Ecce virgo erit pragnans, & pariens filium: Et vocabis nomen
ejus Emanuel. Item Danielis, 9. v. 25. Sunt ab exitu sermonis de reducendo
populo, & adificandâ Ierusalem usq; ad Christum ducem hebdomada se-
ptem hebdomada sexaginta dua, &c.*

X C I X. Evangelium novum sic definit Beatus pater Lu-
therus, Tom. I. lat. pag. 113. *Evangelium est sermo, de Filio Dei incar-
nato, nobis sine meritis, in salutem & pacem donato: est verbum salutis,
verbum gratiae, verbum solatii, verbum gaudij, vox Sponsi & Sponsae, ver-
bum bonum, verbum pacis, &c.*

C. In Augustanâ confessione, articulo, 12. prædicationis
Evangelij summa dicitur, arguere peccata, & offerre remissio-
nem peccatorum. Et quia mentem Augustanæ confessionis non
rectè intellexerunt Antinomi, hæc verba ad suum errorem de-
torserunt. Opposita illis est antithesis aliqua peculiaris in for-
mula concordia. art. 5. de Lege & Evangelio.

C I. Vox enim Evangelij sumitur primò generaliter pro tota
Historia de filio Dei, ipsius factis, & concionibus, ibi etiam ex-
plicatio legis ad Evangelium refertur. In quo sensu Evangelij
summa rectè dici potest arguere peccata, & offerre remissio-
nem peccatorum. Deinde specialiter sumitur duntaxat pro ta-
li doctrina, qualis in definitione Evangelij thesi. 99. est descri-
pta, & quatenus prædicationis penitentia ab Evangelio separa-
tur. Atque ita vident Antinomi, se nihil ab Augustanâ confes-
sione juvari.

C II. Cæterum, hoc in loco etiam considerandum est di-
scrimen legis & Evangelij. Etenim quam necessaria sit ejus co-
gnitio, ostendit B. Lutherus in comment. in cap. 2. Ep. ad Gal.
*Qui bene novit discernere, inquit, legem ab Evangelio, is gratias agat
Deo, & sciat se esse Theologum. Ego certè in tentatione nondum novi, ut
debebam. Et tam diligenter distinguas justiciam Evangelij à justitia le-
gis, quam diligenter distinguas cælum à terrâ, lucem à tenebris, & diem à
nocte. atq; utinam longius distinguere possimus.*

C III. In numero discriminum, in diversas Theologi ab-
eunt sententias. Nos eorum, qui maximè probati sunt, senten-
tiam sequentes quinque discrimina statuimus. Primum est à

D

notitia

*Discrimen
legis & E-
vangelij.*

notitia. Lex enim ex parte, naturâ nobis nota est. Rom. 2. v. 14. Evangelium verò est mysterium à seculis absconditum. Rom. 16. versic. 25.

CIV. Secundum est in materia. Lex enim præcepta continet, ostenditque quid facere, quid omittere debeamus. Evangelium verò continet promissiones gratiæ & remissionis peccatorum. Joh. 3. v. 16.

CV. Tertio discriminantur formâ promissionum. Nam promissio legalis meritoria est, & promittit temporalia & æterna bona, omnibus qui perfectam obedientiam legi præstât. Sicut Lucæ, 10. v. 28. *Fac hoc, & vives.* Evangelium autem continet promissiones gratuitas, de remissione peccatorum propter Christum.

*Errores circa
hunc articu-
lum.*

CVI. Quarta differentia est in objecto. Lex enim potissimum circa indomitos & impios versatur, 1. Timoth. 3. v. 9. Sed Evangelium solatur contritos, gratiamq; Dei ex corde appetentes. Iesa. 61. v. 1.

CVII. Quinto differunt effectu. Nam lex accusat, terret conscientias, & operatur iram. Rom. 4. v. 15. *Evangelium verò est potentia ad salutem omni credenti.* Rom. 1. v. 16. Et huc usque vera doctrina de Evangelio.

CVIII. Videamus porrò, quos habeat hic articulus scolopulos, à quibus nobis magnopere cavendum sit. Et primum nobis faciunt Origenian, qui duo docuerunt Evangelia: alterum à Christo per Apostolos traditum, quod abrogandum: alterum aliquando à Spiritu S. revelandum, quod sit æternum.

CIX. Nos verò in Scripturâ ejusmodi promissum non habemus: Imò Apostolus huic sententiæ manifestè contradicit. Gal. 3. v. 8. *Si etiam nos, aut Angelus de celo Evangelizet vobis præter id, quod Evangelizavimus vobis, anathema sit.*

CX. Sequuntur Antinomi, qui prædicationem penitentiæ ex Evangelio, non ex lege, instituendam contendunt. Sed respondimus illis supra.

CXI. His se adjungunt Pontificij, & primò dicunt, quod Christus in Evangelio aliqua præcepta dederit, quæ ad clericos tantum, quasi homines perfectos, solummodo spectant. Qualia sunt.

sūt de vindicta, de voto paupertatis, de perpetuā castitate &c.

CXII. *Sed quicumq; in Christo baptizati sunt, Christum induerunt. Et non est Iudaeus, neq; Graecus, non est Servus, neq; liber, non est masculus neq; foemina, omnes enim unum sunt in Christo Iesu. inquit Apostolus Gal. 3. v. 27. Et consequenter, respectu Evangelij, nullus Laicus est, vel Clericus: atq; una eademq; omnibus lex & Evangelium.*

CXIII. Deinde dicunt fratres Esavitici, quod primi homines sint salvati lege naturæ: Judæi lege Mosaica: & Christiani Evangelio, Sed contradicit Apostolus ad Galat. 3. v. 6. 7. 8. Postmodum enim demonstravit, quod Abraham non ex operibus legis justificatus sit, hæc adjicit verba. *Providens autem scriptura, quod ex fide justificet gentes Deus, ante evangelizavit Abrahæ, Benedictentur, inquit, in te omnes gentes, &c.*

CXIV. Sequuntur hoc in loco Calviniani, qui universales Evangelij promissiones particulares faciunt; atq; quod istæ promissiones, ad quosdam solummodo pertineant, quos nimirum absoluto suo decreto, nullo respectu fidei habito, ante jacta mundi fundamenta prædestinavit, aperte & impiè dicunt.

CXV. His opponimus ipsum Deum, Ezech. 33. v. 11. *Vivo ego, dixit Dominus Iehovah, Si volo mortem impij, sed ut avertatur impius à via sua, & vivat: Convertimini convertimini igitur à vijs vestris malis, & ut quid moriemini Domus Israel. Ecce quā terribè loquitur Jehova!*

CXVI. Photiniani tandem contendunt, quod Evangelium ante Christi nativitatem nunquam revelatum fuerit. Ostræus in germ. inst. c. 6. par. 9. Sed hanc opinionem tollit thesis nostra, us quam Iesuitis opposuimus. Atqui hæc sunt dogmata errantium circa hunc fidei articulum.

CXVII. Concludemus disputationem unius & alterius *Quæstiones.* quæstionis decisione. Et primò quæritur, An absolutio à peccatis prohibeat, ne magistratus possit maleficos homines, uti sunt homicidæ, fures, latrones, &c. supplicio afficiant: Qui affirmabit hanc quæstionem poterit dicere, quod illud supplicium antecedentem absolutionem faciat irritam.

CXVIII. Sed nos meritò negamus quæstionem, siquidem Deus ipse talia supplicia instituit, & executionem omni magistratui severissime injunxit. Neq; sit irrita antecedens absolu-

tio per executionem pœnæ: siquid em peccati reatus, & æternum supplicium solummodo per absolutionem tollitur. Inter eâ tamen hominem temporaliter vult affligi Deus, ut caro ipsius castigetur, & alijs exemplū in ejusmodi peccatore statuatur.

CXIX. Exemplum est David, qui adulterij & homicidij sui remissionem à Deo per Nathanem acceperat, & tamen filio suo adulterino orbabatur. 2. Sam. 12. v. 13. Sic quoq; Paulus hominem incestuosum excommunicans: *Tradatur, inquit, ejusmodi homo Satanae ad interitum carnis, ut Spiritus salvus sit in die illo, Domini Iesu.* Atque ita damnat hominem secundum corpus, secundum Spiritum autem vel animam salvum ipsum fore dicit, quod certè non diceret Apostolus, si remissionem peccatorum ipsi denegaret.

CXX. Deinde quæritur, an universales Evangelij promissiones, sint intelligendæ de aliquibus omnium generum? Affirmant Calviniani, ut eò commodius suum absolutum decretum in Deo possint defendere.

CXXI. Sed per Deum; quomodo quæso hæc scripturæ fulmina, per adeò levem explicationem possunt infringi? *Sic Deus dilexit MVNDVM, inquit Salvator, ut Filium suum unigenitum daret, ut OMNIS qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam. Joh. 3. v. 16. Item, Deus vult OMNES HOMINES salvos fieri & ad agnitionem veritatis venire. 1. Tim. 2. v. 4. Item, NON vult Deus VLLOS perire: sed OMNES ad pœnitentiam converti. 2. Pet. 3. v. 9. Item. Pro OMNIBVS mortuus est Christus, 2. Cor. 5. v. 15. &c.* Quæ omnia sunt adeò adamantina, ut durissima saxa possint conscindere, & tamen contra illa calcitrare volunt Calviniani.

CXXII. Hæc est doctrina de voluntate Dei revelata, congruens cum ipso Dei verbo. Hanc æterne Deus in cordibus nostris confirma: Et de his, ut & reliquis fidei articulis, male sentientibus: da meliorem mentem: pertinaciter autem perseverantes, de throno suo præcipita: Et habebit pacem Jerusalem, & laudabit nomen tuum,

in secula. Amen.

F I N I S.

AB: 15067

ULB Halle
003 019 209


3



36.







DISPUTATIONUM THEOLOGICARUM DE PRÆCIPUIS FIDEI
ARTICULIS,
VI
DE
LEGE ET EVANGELIO,
Quam
Angelo pacis magno moderante,
In celeberrima Academia VVittebergensi
PRÆSIDE
VVOLFGANGO FRANZIO,
S. S. Theologiæ Doctore & Profels.
publico,
In Templo arcus ad disputandum
proponit
M. BERNHARDUS BLUMIUS
Lubecensis.
Ad diem 13. Novemb. horis
à 1. pomeridianis.
VVITTEBERGAE
Excusa Typis JOH. GORMANI, Anno 1611.